

rem? Quoniam, inquit, gravissimum est tali servire Héro; si enim tu qui Herus es, & neminem times, non relaxationem Naturæ præbes, sed eundo mingis, si obtigerit me servum tuum ad aliquod mitti ministerium, & inter eundum tale quid natura exigat, necesse omnino fuerit (turpe quidem dictu) currendo cacare. Et Xanthus, Hoc te turbat? Rationem tibi quia sic feci, reddam; Stanti mihi Sol perussisset caput, & pedes torridum terræ Solum, & urina acrimonia olfactum offendisset. Et Æsopus, Vadè igitur, persuasisti mihi. Postquam autem usque ad domum Xanthi profecti sunt; Xanthus jubens Æsopum manere ante vestibulum, quoniam elegantiusculam sibi uxorem noverat, neque illicò debere tales turpitudinem illi ostendi, antequam aliquis illi urbaniora diceret: Ipse ingressus dixit, Domina, non etiam posthac reijicies ministerium quod tibi meæ pedissequæ præstant; Jam enim ego Puerum tibi emi, in quo videbis pulchritudinem qualem nunquam vidisti, qui & jam ante vestibulum stat. Famulæ Xanthi vera existimantes quæ dicta fuerant inter se non mediocri gaudio contendebant, cuinam ipsarum Sponsus destinatus sit. Xanthus interea novam mancipium intus vocari jussit, una ex illis magis accelerans, & ut arrabonem, mandatam arripiens Æsopum foris quæsivit, & non inventum, nomine vocavit; cui Æsopus confestim, Coram, quem queritis adsum. Ancilla autem stupefacta; Tunc, inquit, es Æsopus? Et ille, Æsopus sum. Ne ingrediaris, dixit Ancilla, sin facies, omnes illico fugiemus: Illa hæc dicente, egreditur & altera Ancilla, ac ut Æsopum vidit, Cædatur tua, dixit, facies, & ingredere, sed ne appropinquas mihi.

Æsopus autem ingressus stetit coram Domina, quæ ut eum vidisset, oculos avertens ad virum, Unde hoc monstrum mihi attulisti, dixit, abjice ipsum à facie mea: Et Xanthus, Satis tibi domina, Ne nimium mordaciter succenseas servo meo: Et illa, Videris mihi Xanthe jam me odisse, & causam querere uxorem ducendi alteram, & forsan dum pudebat tibi apertè mihi dicere, Discede à Domo mea, Canticitem hunc apportasti, ut ejus ægræ latura ministerium, à Domo tua fugiam; Retribuas igitur mihi Dotem meam, ut abscedam.

Hæc quum Xanthus audivisset, Æsopum objurgavit, quod nullum Responsum Uxori dedit, quum inter eundum in Itinere faceta quædam de miseri locutus fuerat: Æsopus tandem iracundà protulit, Projice ipsam in Barathrum. Cui Xanthus, Tace scelus! An nescis me illam ut meipsum amare? Et Æsopus, Pulcrè sapientiam profiteris, An Philosophus amat mulierculam? & ille, Admodum quidem; Ad quæ Æsopus pulsato pede exclamavit, Xanthus Philosophus Uxorius est; Et versus deinde ad dominam, ait, Tu velles, O Domina, quod Dominus meus emisset tibi servum Juvenem, bono habitu, & vigentem, qui te nudam in Balneo spectaret, & tecum luderet in dedecus mariti. O Earipides, ut veneror te & aureum os tuum talia dicentem; multi sunt impetus fluctuum marinorum, multi fluminum & Ignis calidi fatus; Dura est res paupertas, & Dura alia Infinita, tamen nihil æquè duram ut mulier mala. Tu verò Domina, Philosophi quum sis Uxor, serviri tibi noli à venustis adolescentulis, nè quo pacto contumeliam aliquam viro tuo in fixeris.

Xanthi Uxor quum hæc audiisset, & nihil contradicere potuisset: Unde secum aiebat, Vir meus pulchritudinem hanc venatus est; Nihilominus quamvis sordidissimè se gerit, & loquax nebulo est, & facetus, Reconciliabor ei: Tum Xanthus, Æsope, reconciliata est tibi tua Hera; Et Æsopus, Ironicè loquens, Magna est res, inquit, placare mulierem. Et Xanthus, Cave, posthac ut taceas, emi etenim te ad serviendum, non ad contradicendum.

Postera Die Xanthus, Æsopo sequi iuso, ad hortum quendam ivit, empturus olera; Quum vero Olior falsiculum olerum messuisset, Æsopus in manum accepit, & Xantho soluturo Hortulano Pecuniam; Pace, inquit Hortulanus, tua, Domine, Problema unum à te desidero: Et Xanthus, Quidnam est? Tum ille; Quænam est Causa quod quæ à me plantantur olera, quamvis & diligenter fodiantur, & quotidie irrigantur, tardum tamen accipiunt Incrementum, quum illa quibus sponte-